



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Bohemica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



BOHEMICA. PRAGENSIA.

IN PRAGAM JUL. CÆS.
SCALIGER.

S Epta metallifero circum qua monte superbis,
Hercinia in medio Martia Praga sinu,
Linque aliis populis tanta munimina sedis:
Qui nequeant armis jura tenere loci.
Namq; tuum est, non præsidio turgere locorum:
Sed loca præsidiis fidere posse tuis.

IN AUDITORIO JURISCONSULTORUM.

Si istud observatur in delinquentibus, ut post vigesimum annum, à die commissi delicti inquiri non possit de ipsa conditione personæ, d. l. querela; multo magis observandum hoc erit in ipsis per viginti annos publicè doctis, qui ad aliquem dignitatis gradū jam sunt promoti, per argumentum à multo magis, quod est in Jure validum. Authen. multo magis. C. de sacrosanct. Eccl. Igitur ex præmissis concludendum, ut Magistri, & Doctores publicè præpositi, docentes per viginti annos continuè in aliqua famosa ac generali Universitate, ipso quidem jure efficiantur Duces & Comites simul, ac propterea cum utramq; annexam in se habeant & Ducum & Comitum dignitatem; dicuntur illustres; cum aliàs simpliciter Duces seu Comites non sic dicantur; sed spectabiles tantum, nisi fuerint Duces & Comites simul, sicuti præfati Doctores docentes per viginti annos, ut communiter traditur per scribentes: quos refert & sequitur Jas. post longam disputationem in l. i. in prin. post gloss. ibi in verbo,

tribuuntur, num. XII. ff. de offic. ejus &c. Nec refert, quod isti careant omnino Comitatu, ac illius redivis, (quamvis pessimé in hoc nobiscum actum sit) dicant eos non proprié esse Comites & Duces, sed improprié & abusive, cum sint sine Comitatu, seu Ducatu, ut notanter tradit Decius in d. l. i. nu. 16. ut videri potest in Episcopis suffraganeis, seu nulla tenentibus, qui licet sint sine Episcopatu; habent tamen dignitatem.

MUSEI SUI PARIETI INSCRIBEBAT HÆC
Praga discedens Fridericus Widebramus
Naumburgensis, exsul.

*Hic studiis miscere preces lacrymasq; solebam,
Tristis in exilio cum Widebramus eram.
Solutus eram, nec eram tamen illo tempore solus,
Quando suo mecum numine Christus erat.
Liber ab exilio dimissus carcere, tandem
Rursus in exilium triste profectus eo.
Patria terra vale, caelestis patria salve.
Qualibet est forti patria terra. vale.*

CZASLAVIÆ IN BO-
HEMIA.

IN CIPPO SEPULCHRALI, QUI CISCÆ
*imaginem incisam lapidi continet, hæc verba in mar-
gine quadrato inscripta sunt.*

ANno 1424. die Jovis ante festum Galli, vita functus
Johannes Zyska à Calice, rector rerum publicarum
laborantium in nomine & pro nomine Dei, hoc templo
conditus est.

EREGIONE AD PARIETEM EST ALTARE
*quoddam, in cujus exteriori facie Hussus
& Czyska picti sunt.*

Sub Zyska hi versus leguntur.
*Strenuus in bellis hoc dormit Zyska sepulchro,
Zyska sua gentis gloria, Martis honos.*

*Ille luem scelerum Monachos, pestemq; nefandam
Ad Stygias justo fulmine trussit aquas.
Surget adhuc rursus, quadrata cornua crista
Supplicii ut pœnas, quas meruere, luant.*

Sub Husso veró é latere hi versus
leguntur.

*Husse tuus vindex jacet hic dux Zysca Johannes,
Supplex Sigsmundus cui quoq; Caesar erat.
Et, quoniam bustis clarent loca multa, sepulcro
Zysca Czaclavii fama perennis erit.*

Pauló inferiús hoc distichon adscri-
ptum est.

*Jam venit é superis Hus. quod si forte redibit,
Zysca suus vindex; impia Roma cave.*

Post altare ex eodem pariete dependet lapis quidam qua-
dratus, é catena ferrea, sesquispithamæ magnitudine
in quolibet latere. Huic sequens distichon
adscriptum visitur.

*Mensa fuit Zysca lapis hic; dum corpore Christi
Vescitur; & potum sanguinis ore bibit.*

Super sepulchralem autem cippum é templi fornice
clava ferrea dependet, quam semper in præliis ma-
nu sua tractavit Zysca.

ALIUD EJUSDEM MONUMENTUM.

Joannes Zysca, nulli Imperatorum Ducúmve rei mi-
litaris peritia inferior, superbiam simul & avaritiæ Cleri-
corum severus ultor, patriæque acerrimus propugnator,
hic jacet.

Quod Appius Claudius Cæcus bene consulendo, &
M. Furius Camillus strenuè agendo suis Romanis præ-
buere, hoc ipsum Boëmis meis præstiti, fortunæ belli
nunquam defui, neque illa mihi. omnem opportunita-

tem rerum bene gerendarum etiam cæcus prævidi. signis collatis undecies, semper victor depugnavi. Visus sum mihi miserorum & esurientium justissimam causam, adversus delicatos, pingues, & saginatos sacerdotes egregie egisse: & ob hoc Dei auxilium sensisse. Nisi illorum invidia obstaret, inter illustres viros numerari proculdubio meruissem. Tamen ossa mea hoc sacro loco cubant, etiam insalutato Papa, invitoq̃.

*Diis manibus sacrum hoc Joh. Zyska
Gregorius arunculus PP.*

DANI.

